N. 1112.

CURRENDA VIII.

A. D. 1861.

Nr. præs. 63.

Allocutio SS. Papae Pii IX. habita in Consistorio secreto Romae 18. Mart. 1861 intuitu calamitatum Ecclesiae ac Pontificatus &c.

SS. Papa Pius IX, ut e novellis ferme quotidie innotescit, hucusq. iisdem adhuc premitur angustiis, petiturque jam Ecclesia praeprimis in Italia, jam Sedes Petri Apostolica calamitatibus innumeris. Varia etiam SSmo Petri Successori a modernis *Liberalibus* suggeruntur reconciliationis salvationisque media, quae acceptari nequeunt.... Et hodiedum nullum patet redemptionis seu liberationis ab inimicis auxilium. Condelentia nonnisi tot Catholicorum millium, atque continua eleemosynae submissio aliquantulum linit dolorem cordis Afflictissimi Patris.... Pro minuendo eodem dolore saepe saepius SS. Papa ascendit cathedram, ex qua Eminentissimorum Cardinalium Collegio panderet vulnera sua, exhortareturque ad irremissam constantiam, ad fervidam orationem.

Praesentem allocutionem ex eo potissimum fine celebratam quoque fuisse, facile Dilectissimi in Christo Fratres concedent, qui eam penitius lustrabunt. Condolentes porro SS. Urbis ac Orbis Patri, et cum Jeremia super vastatione Ecclesiae in Italia murorum, ceu novae Jerusalem lamentantes, auxilium desuper celerrimum efflagitare haud cessetis.

Allocutio ipsissima ita sonat:

„Venerabiles Fratres!

Jam dudum cernimus, Venerabiles Fratres, quo misero sane conflictu ob invicem pugnantia inter veritatem et errorem, inter virtutem et vitium, inter lucem et tenebras principia, hac miserrima nostra praesertim aetate civilis exagitetur societas. Namque alii ex una parte tuentur quaedam modernae, uti appellant, civilitatis placita, alii ex altera justitiae sanctissimaeque nostrae religionis jura propugnant. Ac primi postulant, ut Romanus Pontifex cum *Progressu*, cum *Liberalismo*, uti vocant, ac recenti civilitate se reconciliet et componat. Alteri vero merito efflagitant, ut immobilia et inconcussa aeternae justitiae principia integra et inviolata custodiantur, et saluberrima divinae nostrae religionis vis omnino servetur, quae et Dei gloriam amplificat, et opportuna tot malis, quibus humanum genus affligitur, affert remedia, quaeque est unica veraque norma, qua filii hominum in hac mortali vita omni virtute instituti ad beatae aeternitatis portum perducuntur. Sed hodiernae civilitatis patroni hujusmodi discrimini haud acquiescunt, quandoquidem sese veros et sinceros religionis amicos affirmant. Ac Nos fidem eis adhibere vellemus, nisi tristissima sane facta, quae ante omnium oculos quotidie versantur, contrarium prorsus ostenderent. Et quidem una est vera ac sancta super terram religio ab ipso Christo Domino fundata et instituta, quae virtutum omnium fecunda parens et altrix, ac vitiorum expultrix, et animorum liberatrix, veraeque felicitatis index, appellatur Catholica Apostolica Romana. Quid autem sentiendum de iis, qui extra hanc salutis arcam vivunt, jam alias declaravimus in Consistoriali Nostra Allocutione diei 9 Decembris anni millesimi octingentesimi quinquagesimi quarti, atque hic eamdem doctrinam confirmamus.

Jam vero ab iis, qui pro religionis bono Nos ad hodiernae civilitati dexteram porrigendam invitant, quaerimus, utrum facta talia sint, quae Christi hic in terris Vicarium ab Ipso ad cælestis suae doctrinae puritatem tuendam, atque ad agnos ovesque eadem doctrina pascendas et confirmandas divinitus constitutum possint inducere, ut sine gravissimo conscientiae piaculo, et maximo omnium scandalo se cum hodierna civilitate consociet, cujus opera tot nunquam satis deploranda eveniunt mala, tot teterrimae opiniones, errores et principia promulgantur, quae catholicae religioni ejusque doctrinae omnino adversantur. Atque inter haec facta nemo ignorat, quomodo vel ipsae solemnes Conventiones inter hanc Apostolicam Sedem et Regios Principes rite initae penitus destruantur, veluti nuper Neapoli accidit. Qua quidem de re in hoc amplissimo vestro consessu etiam atque etiam querimur, Venerabiles Fratres, et summopere reclamamus eo prorsus modo, quo contra similes ausus et violationes alias protestati sumus.

Haec autem moderna civilitas dum cuique acatholico cultui favet, ipsosque infideles a publicis muneribus obeundis minime prohibet, et catholicas scholas illorum filiis recludit, irascitur adversus Religiosas Familias, adversus Instituta catholicis scholis moderandis fundata, adversus quamplurimos cujusque gradus ecclesiasticos Viros amplissima etiam dignitate insignitos, quorum non pauci vitam in exilii incerto aut in vinculis misere agunt, et adversus etiam spectatos laicos viros, qui Nobis et huic Sanctae Sedi addicti religionis justitiaeque causam alacriter defendunt. Haec civilitas dum acatholicis institutis ac personis subsidia largitur, catholicam Ecclesiam justissimis suis possessionibus spoliat, et omnia adhibet consilia ac studia ad salutarem ipsius Ecclesiae efficaciam imminuendam. Insuper dum omnem tribuit libertatem quibusque verbis et scriptis, quae Ecclesiam omnesque ipsi ex corde devotos aversantur, ac dum licentiam animat, alit et fovet, eodem tempore se omnino cautam moderatamque exhibet in reprehendenda violenta et immiti interdum agendi ratione contra eos adhibita, qui optima vulgant scripta; et omnem in puniendo exercet severitatem, si ab his moderationis fines vel leviter praeteriri arbitretur.

Hujusmodi igitur civilitati possetne unquam Romanus Pontifex amicam protendere dexteram, et cum ea foedus concordiamque ex animo inire? Vera rebus vocabula restituantur, et haec Sancta Sedes sibi semper constabit. Siquidem ipsa verae civilitatis continenter fuit patrona et altrix; atque historiae monumenta eloquentissime testantur ac probant, omnibus aetatibus ab eadem Sancta Sede in disiunctissimas quasque et barbaras terrarum orbis regiones veram rectamque fuisse invectam morum humanitatem, disciplinam, sapientiam. At cum civilitatis nomine velit intelligi systema apposite comparatum ad debilitandam ac fortasse etiam delendam Christi Ecclesiam, nunquam certe quidem haec Sancta Sedes et Romanus Pontifex poterunt cum hujusmodi civilitate convenire. *Quae enim*, uti sapientissime clamat Apostolus, *participatio justitiae cum iniquitate, aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi aut Belial?* 1).

Qua igitur probitate perturbatores, et seditionis patroni suam vocem attollunt ad exaggerandos conatus frustra ab ipsis adhibitos, ut se cum Romano Pontifice componant? Hic enim, qui suam omnem vim haurit ex aeternae justitiae principiis, quonam pacto posset illa unquam deserere, ut sanctissima debilitetur fides, atque adeo Italia in discrimen adducatur amittendi maximum suum splendorem et gloriam, qua undeviginti ab hinc saeculis refulget ob centrum et sedem, qua praestat, catholicae veritatis? Neque obiici potest, hanc Apostoli-

1) Epist. II. ad Corinth. c. VI. v. 14. 15.

cam Sedem in rebus civilis principatus clausas habuisse aures illorum postulationibus, qui liberiorem administrationem exoptare significarunt. Ut vetera omittamus exempla, de hac nostra infelici aetate loquemur. Ubi enim Italia a legitimis suis Principibus liberiores institutiones obtinuit, Nos paternum animum gerentes filiorum partem Pontificiae Nostrae ditionis in civilem administrationem cooptavimus, et opportunas dedimus concessiones, propriis tamen prudentiae modis ordinatas, ne munus paterno animo concessum per malorum hominum operam veneno inficeretur. At vero quid inde factum est? Effrena licentia innocua Nostra largitate potita est, et Aulae, quo publici Ministri ac Deputati convenerant, limina sanguine respersa, et impia manus in eum sacrilege conversa, qui beneficium concesserat. Quod si recentissimis hisce temporibus consilia circa civilem procurationem Nobis data fuerunt, haud ignoratis, Venerabiles Fratres, illa a Nobis admissa fuisse, eo tamen excepto ac rejecto, quod non ad civilem administrationem respiciebat, sed eo spectabat, ut spoliationis parti jam patratae assentiremur. Nihil vero est, cur de consiliis bene acceptis, deque Nostris sinceris ad illa exsequenda promissis loquamur, cum usurpationum moderatores alta voce profiterentur, se non quidem reformationes, sed absolutam rebellionem, omnemque a legitimo Principe sejunctionem omnino velle. Atque ipsi erant gravissimi facinoris auctores et antesignani, qui suis clamoribus omnia replebant, non vero populus, ut de illis merito dici possit, quod Venerabilis Beda de Pharisaeis et Scribis Christi inimicis ajebat 1) „*Non haec aliqui de turba, sed Pharisaei calumniabantur et Scribae, sicut Evangelistae testantur.*

Sed Romani Pontificatus oppugnatio non solum eo spectat, ut haec Sancta Sedes et Romanus Pontifex legitimo suo civili principatu omnino privetur, sed eo etiam tendit, ut infirmetur, et, si fieri unquam posset, plane tollatur salutaris catholicae religionis virtus: ac propterea impetit Dei ipsius opus, redemptionis fructum, et sanctissimam illam fidem, quae pretiosissima est haereditas in nos derivata ex ineffabili sacrificio, quod in Golgotha consummatum est. Atque ita se rem habere, satis superque demonstrant tum commemorata jam facta, tum ea, quae in dies evenire videmus. Quot enim in Italia Dioeceses ob illata impedimenta suis Episcopis orbatae, plaudentibus modernae civilitatis patronis, qui tot christianos populos sine pastoribus derelinquunt, et illorum bonis potiuntur, ut ea in pravos etiam usus convertant! Quot sacrorum Antistites in exilio versantur! Quot (cum incredibili animi Nostri dolore dicimus) apostatae, qui non Dei sed Satanae nomine loquentes, ac impunitate ipsis a fatali regiminis systemate concessa fidentes, et conscientias exagitant, et infirmos ad praevaricandum impellunt, et misere lapsos in turpissimis quibusque doctrinis obfirmant, et Christi vestem lacerare contendunt, cum minime reformident Nationales, uti dicunt, Ecclesias, aliasque id genus impietates proponere ac suadere! Postquam vero ita religioni insultaverint, quam per hypocrisim invitant, ut cum hodierna civilitate conveniat, non dubitant pari cum hypocrisi Nos excitare, ut cum Italia reconciliemur. Scilicet, cum omni fere civili Nostro principatu spoliati gravissima Pontificis et Principis onera sustineamus piis Catholicae Ecclesiae filiorum largitionibus quotidie amantissime ad Nos missis, cumque gratis invidiae et odii signum facti simus eorum ipsorum opera, qui conciliationem a Nobis postulant; id vellent praeterea, ut palam declararemus, usurpatas Pontificiae Nostrae ditionis Provincias in liberam usurpatorum proprietatem cedere. Qua sane audaci et hactenus inaudita postulatione quaererent, ut ab hac Apostolica Sede, quae semper fuit et erit veritatis justitiaeque propugnaculum, sanciretur, rem injuste violenterque

1) Lib. 1. c. 48. in c. 11. Lucae.

direptam posse tranquille honesteque possideri ab iniquo aggressore; utque ita falsum constitueretur principium, fortunatam nempe facti injustitiam nullum juris sanctitati detrimentum afferre. Quae postulatio iis etiam repugnat solemnibus verbis, quibus in magno et illustri Senatu nuperrimis hisce diebus declaratum est, ***Romanum Pontificem esse Repraesentatorem praecipuae vis moralis in humana societate.*** Ex quo illud consequitur, eum nullo modo posse vandalicae spoliationi consentire, quin fundamentum violet illius moralis disciplinae, cujus ipse veluti prima forma et imago dignoscitur.

Jam vero quicumque vel errore deceptus vel timore perculsus praebere velit consilia injustis perturbatorum civilis societatis votis consentanea, necesse est, ut hisce potissimum temporibus sibi omnino persuadeat, illos nunquam contentos fore, nisi viderint omne auctoritatis principium, omne religionis frenum, omnemque juris justitiaeque regulam de medio tolli. Atque hujusmodi subversores in civilis societatis calamitatem illud jam tum voce tum scriptis assequuti sunt, ut humanas mentes perverterint, moralem sensum debilitaverint, et injustiae horrorem eripuerint; atque omnia conantur, ut cunctis persuadeant, jus ab honestis gentibus invocatum nihil aliud esse, nisi injustam voluntatem, quae debeat omnino contemni. Heu! vere ***luxit et defluxit terra et infirmata est, defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ. Et terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt foedus sempiternum*** 1).

Verum in tanta tenebrarum obscuritate, qua Deus inscrutabili suo judicio gentes sinit offundi, Nos omnem Nostram spem fiduciamque plane collocamus in ipso clementissimo misericordiarum Patre et Deo totius consolationis, qui Nos consolatur in omni tribulatione Nostra. Ipse namque est, qui Vobis, Venerabiles Fratres, concordiae et unanimitatis inter Vos spiritum ingerit, et quotidie magis ingeret, ut Nobiscum arctissime aeque ac concordissime conjucti parati sitis una Nobiscum sortem illam subire, quae arcano divinae suae providentiæ consilio cuique nostrum reservata sit. Ipse est, qui caritatis vinculo inter se, et cum hoc catholicae veritatis et unitatis centro conjungit sacrorum christiani orbis Antistites, qui fideles sibi commissos evangelicae veritatis doctrina instituunt, eisque iter in tanta caligine tuto sequendum monstrant, nuntiantes virtute prudentiae populis sanctissima verba. Ipse super omnes catholicas gentes effundit spiritum precum, et acatholicis aequitatis sensum inspirat, ut rectum de hodiernis eventibus ferant judicium. Haec autem tam mira in universo catholico orbe precum consensio, tamque unanimes erga Nos amoris significationes, tot sane variisque modis expressae (quod in anteactis aetatibus haud facile queat inveniri) manifestissime ostendunt, quemadmodum hominibus recte animatis opus omnino sit tendere ad hanc Beatissimi Principis Apostolorum Cathedram, lucem terrarum orbis, quae magistra veritatis et nuntia salutis semper docuit, et usque ad consummationem saeculi immutabiles aeternae justitiae leges docere nunquam desinet. Tantum vero abest, ut Italiae populi ab hisce luculentissimis filialis erga Apostolicam hanc Sedem amoris et observantiae testimoniis abstinuerint, ut immo quamplura centena ipsorum millia Nos amantissimis litteris adiverint non eo quidem consilio, ut conclamatam a veteratoribus reconciliationem peterent, sed ut Nostras molestias, poenas, angores summopere dolerent, suumque erga Nos affectum omnimode confirmarent, et nefariam sacrilegamque civilis Nostri ejusdemque Sedis principatus spoliationem etiam atque etiam detestarentur.

Cum porro ita se res habeant, antequam loquendi finem faciamus, coram Deo et

1) Is. cap. 24 v. 4. 5.

hominibus clare aperteque declaramus; nullam prorsus adesse causam, quare cum quopiam Nos reconciliari debeamus. Quoniam vero, licet immerentes, Illius hic in terris vice fungimur, qui pro transgressoribus rogavit veniamque petiit, probe sentimus a Nobis parcendum iis, qui Nos oderunt, ac pro ipsis orandum, ut divinae gratiae auxilio resipiscant, atque ita illius, qui Christi hic in terris vicariam gerit operam, benedictionem promereantur. Libenter utique pro illis oramus, iisque, statim ac resipuerint, ignoscere ac benedicere parati sumus. Interim tamen non possumus inertes haerere, veluti qui nullam de humanis calamitatibus curam capiunt; non possumus non vehementer commoveri et angi, ac uti Nostra non reputare maxima damna et mala iis nequiter illata, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Quocirca dum intimo moerore conficimur, Deumque obsecramus, gravissimum supremi Nostri Apostolatus munus implemus loquendi, docendi et damnandi, quaecumque Deus Ejusque Ecclesia docet et damnat, ut ita cursum Nostrum consummemus, et ministerium verbi, quod accepimus a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiae Dei.

Itaque si injusta a Nobis petantur, praestare non possumus: si vero postuletur venia, illam ultro libenterque, uti nuper declaravimus, impertiemur. Ut autem hujusce veniae verbum eo proferamus modo, qui Pontificiae Nostrae dignitatis sanctitatem omnino decet, flectimus ante Deum genua, et triumphale nostrae redemptionis amplectentes vexillum, Christum Jesum humillime deprecamur, ut Nos eadem sua repleat caritate, ut eo prorsus modo ignoscamus, quo Ipse suis pepercit inimicis, antequam sanctissimum suum spiritum in aeterni Patris Sui traderet manus. Atque ab Ipso impensissime exposcimus, ut quemadmodum post veniam ab Eo tributam, inter densas tenebras, quibus universa terra fuit obducta, inimicorum suorum mentes illustravit, qui horrendi facinoris poenitentes revertebantur percutientes pectora sua, ita in hac tanta nostrae aetatis caligine velit ex inexhaustis infinitae suae misericordiae thesauris caelestis ac triumphatricis suae gratiae effundere dona, quibus omnes errantes ad unicum suum ovile redeant. Quaecumque autem futura sint investigabilia divinae suae providentiae consilia, ipsum Christum Jesum Ecclesiae suae nomine rogamus, ut Vicarii sui causam, quae Ecclesiae suae causa est, judicet, eamque contra hostium suorum conatus defendat, ac gloriosa victoria exornet et augeat. Ipsum item exoramus, ut perturbatae societati ordinem tranquillitatemque restituat, et optatissimam pacem tribuat ad justitiae triumphum, quem ab Eo unice expectamus. In tanta enim trepidatione Europae totiusque terrarum orbis, et eorum, qui arduo funguntur munere moderandi populorum sortes. Deus unus est, qui Nobiscum et pro Nobis pugnare possit: *Judicia nos Deus, et discerne causam nostram de gente non sancta: da pacem Domine in diebus nostris quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus Noster.*“

E Præsidio Epicopali. Tarnoviae 18. April 1861.

Nr. 874.

Norma intuitu competentiæ quoad indagationem et punitionem deviationum Cleri Catholici.... statuitur.

Exc. C. R. Locumtenentia Leopol. sub 28. Feb. a. c. N. 9011. communicat Nobis tenorem a. Decreti ab anteacto C. R. Ministerio Cultus ac Studior. de 4. Feb. a. c. Nr. 235/62 conditi, cujus vigore Subsellia civilia nonnisi ad indagationem et mulctationem transgressionum Legum civilium, quas sibi Clerus Catholicus indulgeret; nec non ad auxilium Potestati ecclesiasticae quoad executionem decretorum in aliquem Cleri prævaricantem a loci Or-

dinario latorum... si opus esset, ferendum.... authorisantur; e contra vero Præpositis ecclesiasticis relinguitur jus, exercendi jurisdictionem suam, quotiescumque sacerdos in functionibus ecclesiasticis, aut in munere suo spirituali aut contra quamcunque legem ecclesticam delinguit.

Idem valet quoad excessus in juribus stolæ.

Pro uberiori notitia imprimendam curamus totam altæ Locumtenentiæ Dilucidutionem, quae ita sonat:

„Z. 9011. Uiber die höheren Orts angeregte Kompetenz zur Untersuchung und Bestrafung von strafbaren Handlungen geistlicher Personen, welche der katholischen Kirche angehören, fand das bestandene hohe Ministerium für Kultus und Unterricht mit dem Erlaße vom 4. d. Mts. Z. 235/62 anher zu eröffnen, daß hierwegen die Bestimmungen der Art. X, XI, XIV und XVI. des Concordats dann jene Andeutungen zur Richtschnur zu dienen haben, welche über die Ausführung dieser Bestimmungen in dem mit Schreiben des Hrn. Ministers für Kultus und Unterricht an sämmtliche Herrn kat. Erzbischöfe und Bischöfe vom 25. Jänner 1856 Z. 1371 und in dem diesem Schreiben angeschlossenen Schreiben des kais. Bevollmächtigten zum Abschluße des Concordats an den Pronuntius-Kardinal Viale vom 18. August 1855 sub XIII. enthalten sind. —

„Hiernach sei in Hinkunft auch in dem lemberger Verwaltungsbezirke wahrzunehmen, daß sich die weltlichen Behörden nach Maßgabe ihres Wirkungskreises nur mit der Untersuchung und Bestrafung von Uibertretungen der bürgerlichen Gesetze zu befassen haben, welche sich die erwähnten Personen zu Schulden kommen lassen, wogegen es den kirchlichen Obern zusteht, ihre Strafgerichtsbarkeit zu üben, wenn solchen Personen bei ihren geistlichen Verrichtungen ein Verschulden zur Last geht, oder wenn sie die mit dem geistlichen Amte verbundenen Pflichten verletzen, oder aus was immer für einer blos in dem Kirchengesetze sich gründenden Ursache eine Ahndung verdienen." — „In letzterer Beziehung erscheinen die politischen Behörden nur in jenen Fällen berührt, wo ihre wirksame Hilfe in Anspruch genommen wird, damit Urtheile, welche der Bischof wider pflichtvergessene Geistliche fällt, in Vollstreckung kommen."

„Die eben dargelegten Grundsätze seien auch hinsichtlich der Stolaerzesse und Erpressungen in Anwendung zu bringen, welche sich einzelne katholische Geistliche aus Anlaß kirchlicher Verrichtungen erlauben. — Die weltlichen Behörden können hierwegen unter Einhaltung der gesetzlichen Kompetenz nur dann ihr Amt handeln, wenn sich bei solchen Handlungen die Uibertretung eines bürgerlichen Gesetzes herausstellt oder die behördliche Unterstützung zur Ausführung eines bischöflichen Erkenntnisses angesucht wird."

Diese Ministerial-Weisungen wolle das hochwürdige Konsistorium zur Wissenschaft und Nachachtung in vorkommenden Fällen nehmen. Lemberg am 28. Februar 1861."

Ex occasione hujus publicationis quaedam pro salutari reflexione adjicienda esse censemus: Jam a Deo omnipotente, jam ab Ecclesia Sancta, jam ab Alto Regimine ad varia deputati sumus. Plurima nostris humeris imposita sunt. Jam enucleatio legum moralium,

jam earum observantia et invigilantia; jam observatio legum civilium et inculcatio aliis; jam jugis legibus ecclesiasticis obsecundatio; jam salus utriusque Reipublicae; jam accurata librorum matricalium gestio; jam conscientiosa devotionis publicae persolutio, et curae animarum administratio &c. &c. commissa sunt... aut nota bene: quod si unum alterumve tantorum officiorum negligimus, non solummodo coram Deo malorum vindice respondere debemus, verum Ecclesiæ quoq. et Civitati competit jus, nos ad forum suum trahendi, et variis plectendi..... Quanta cum ignominia sæpe ejusmodi animadversio conjuncta sit; quantum vulnus bonæ Cleri totius famæ infligat; quantam ipsimet prævaricatori acerbitatem paret..... quis ignorat? Ne quid simile eveniat, „Fratres, rogamus Vos“ verbis D. Pauli 1. Thes. 4. „et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quemodo Vos oporteat ambulare et placere Deo... sic et ambuletis, ut abundetis magis.“... „Nemini dantes ullam offensionem (scandalum) ne vituperetur ministerium nostrum.“ 2. Cor. VI. 3. Tarnoviæ 4. April 1861.

L. K. 1013.

Uwagi nad Brewiarzem

według Ambergera. Ciąg dalszy do Kur. XIX.—XXIII. z r. 1860.

Horae, Godzinki. Wstęp.

Kościół jest oblubienicą Zbawcy naszego; z tego stosunku wypada utrzymywać rozmowę serdeczną między Oblubienicą i Oblubieńcem. Ta rozmowa dzieje się za pośrednictwem *pacierzy kapłańskich.* Co o stosunku kościoła ku Chrystusowi w Pieśni Salamonowéj (in Cantico Canticorum) przepowiada się, to codzień w pacierzach widzimy spełnione.

Kościół przez usta kapłana, jako Oblubienica we dnie i w nocy czule przemawia w słowy Pieśni rzeczonéj: „Ja miłemu memu (oddana cała) a do mnie żądza jego. Przyjdź miły mój, wynijdźmy na pole, mieszkajmy we wsiach.“ VII. 10. 11. „Wstałam, abym otworzyła miłemu memu: ręce moje kapały mirą, a palce moje były pełne miry najwyborniejszéj.“ V. 5. „Nalazłam tego, którego miłuje dusza moja; pojmałam go i nie puszczę go.“ III. 4. A znowu w usta Oblubieńca taż sama Pieśń wkłada te słowa: Przyłóż mię, jako pieczęć do serca swego, jako pieczęć do ramienia swego, bo mocna jest jako śmierć... miłość, twarda jako piekło rzewliwość; pochodnie jéj jako pochodnie ognia i płomieni. Wody mnogie nie mogły ugasić miłości i rzéki nie zatopią jéj.“ VIII. 6. 7. „Wynijdźcie a oglądajcie córki Syońskie króla Salomona w koronie, którą go ukoronowała matka jego, w dzień zrękowin jego i w dzień wesela jego.“ III. 11.

Co większa; w ofierze bezkrwawéj N. Z. codzień dokonywa się *zaślubienie* Oblubienicy z Oblubieńcem.... Ta ważna sprawa dzieje się przez złączenie się kapłana i t. d. *sakramentalne* w komunii ś. z Chrystusem. Jakże z powodu tak szczytnego węzła, nie wynurzać radości godowéj, wdzięczności... przed i po zawarciu... we dnie i w nocy, a to w pacierzach kapłańskich?!

Wielebni Bracia w Chrystusie! gdyby nawet przepisy kościelne względem ścisłego odmówienia Brewiarza nie istniały, toć stosunek ten kościoła jako Oblubienicy ku Oblubieńcowi musiałby myśli i uczucia nasze skierować ku Oblubieńcowi; pobudzać do częstéj rozmowy z Nim, do uwag pobożnych, czyli do pacierzy kapłańskich..... Oblubienica czci i uwielbia Oblubieńca; dzięki mu składa, błaga o zbawienie całego rodu ludzkiego; Oblubie-

niec znowu raduje się w Oblubienicy, wywyższa ją na ziemi, wysłucha jéj prośby, użycza łaski i pociechy. Kościół ukrywa się w ranach Oblubieńca i dla tego tak silna i niezwyciężona.... według słów Pieśni często przytoczonéj: „Gołębica moja w rozpadlinach skalnych *) ukaż mi oblicze twoje, niechaj głos twój zabrzmi w uszach moich: albowiem głos twój wdzięczny, a oblicze twoje piękne.“ II. 14. Spoczywa kościół, jako Oblubienica we dnie i w nocy w żarze miłości na łonie swego Oblubieńca, nucąc mu pienia godowe, i słodko do niego przemawiając (w pacierzach swoich).

Jutrznia jak wiadomo, zamyka prośby, wielbienia, dziękczynienia, rozmyślania, a **Laudes** wielbienia, zachęcenia ku czci Oblubieńca.... i te pacierze są *przygotowaniem* dłuższém, od kościoła przepisaném.... do ofiary najświętszéj.

Tać jest najszczytniejszą Urzędu kapłańskiego sprawą. W niéj obchodzi się między innemi pamiątka albo ważnéj jakiéj tajemnicy religii ś. albo zdarzenia osobliwszego kościoła ś. albo jakiego Świętego i t. d. Aby do sprawowania tak ś. ofiary przystąpić z należytą pobożnością i wyjednać sobie zbawienie, a nie potępienie.... wypada koniecznie, aby mieć dokładną znajomość owéj tajemnicy, owego zdarzenia lub żywota uroczystujących Niebianów. A właśnie **Jutrznia** w *Antyfonach*, *Wiérszach*, *Lekcyjach*, *Responsoryjach*.... wprowadza kapłana do takiéj znajomości.... rozbudzając w nim stosowne myśli, uczucia, pobożne postanowienia, a w psalmach nie mniéj odrywa go od poziomości i unosi go na skrzydłach pobożności w górną krainę, gdzie Oblubieńcowi, mieszkającemu na prawicy Ojca wyśpiéwują ustawicznie hymny, i wznieca w nim zarazem upragnienie serdeczne sprowadzenia Go z wysokości na Ołtarz, i kojarzyć się z Nim na nowo świętym zaślubienia węzłem. Oby każdy z Wielebnych Braci przed tém, nim się ośmiela czynić swe przed Ołtarz kroki, codzień toż przygotowanie wykonywał!

Po zaślubieniu się z Oblubieńcem czyli po Komunii ś. czyż można zapomnieć zaraz o Oblubieńcu, zostawić go w samotności, zatopić się zaraz w przedmiotach doczesnych?! Oj nie Bracia! Byłoby to nieczułością, okrucieństwem. Zaczem kościół Boży zaprowadził **Horas** tak zwane minores, **Godzinki 4.** które uważać trzeba jako pieśń *godową*, rozmowę z miłości oblubieńczéj wypływającą; jako utrzymywanie ducha Oblubienicy w nierozerwanéj miłości, wdzięczności, uległości, uwielbieniu... ku Oblubieńcowi Jezusowi.

---

*) w ranach Chrystusowych.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 23. April. 1861.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.